FABULÆ PONTIFICIÆ EVANGELICÆ veritatis radiis *diſſipatæ.*

Autore
MARTINO WESCOMBE
Artium Magiſtro in
Academia celeberrima
Oxonienſi.

OXONIÆ,
Excudebat L. LICHFIELD
M. DC. XXXIX.

REVERENDISSIMO
in Christo Patri

GVILIELMO

Divina Providentia
ARCHIEPISCOPO
CANTUARIENSI,
Totius Angliæ Primati
& Metropolitano,

Nec non

Florentissimæ OXONIENSIS
Academiæ Cancellario
Longe Honoratissimo.

QUod naufragis olim (miseris istis nihil miserentis oceani victimis) in more posi-

tum fuit, *Neptuni* pulvinaria tremula pietate ſalutare, & in ſacrario fictitii numinis votivas ſuas tabulas ſuſpendere, multo magis mihi (*Archipræſulum Honoratiſſime*) incumbit gratitudinis penſum dicam an officium? ſi enim recte calculum ponere velimus (ubiq; naufragium eſt) iſq; demum es qui mihi eluctaturo jam & emergenti (ſalutaris inſtar ſyderis) tempeſtivè admodùm affulſiſti, cuiq; tanquam ſecundæ poſt naufragium tabulæ, incolumitatem meam gratulor ſimul, & acceptam refero: tenuitatis hercle non eſt

meæ

meæ votivis tabulis incolumitatis teſſeris, reverentiam Veſtram propitiare, nec digno aliquo gratitudinis officio favorẽ Veſtrũ demeruiſſe; ſtreniolam utcunq; iſtam chartaceam, perexiguã quidem, nominiq; tuo immane quantum imparem tanquã gratiſsimi animi teſſerulam, debitiq; obſequii victimam immolare placuit; mihi certe de benevolẽtia Veſtra animiq; propenſione utpote abunde jam experto dubitare piaculum eſſet, adeo & exemplar ipſius Dei Opt Max. te conformatum credidi, ut qui ipſum Abelem reſpexe-

ris, ipſius oblationem non potes non acceptilare; nec elapſum animi naufragium recte celebrabo, niſi me Monachum plane fuiſſe confitear, cucullatum clauſtri mancipium, ſedulumq; ſuperſtitionis cultorem, haud ita pridem extitiſſe, & in Civitate Toloſana vetuſtiſsima illa quidem, nec incelebri, in *Franciſcanorum* familiam coaptatum, duramq; ibidem per ſeptennium ſuſtinuiſſe ſervitutem, ſtatim quippe poſt parentalia chariſsimo Patri defuncto præſtita, debitumq; rorantium oculorum obſequium perſolutum

in

in naſſam ſuam me pellicere aggrediuntur colubri iſti tortuoſi, adeò lubricæ & incautæ ætati imponere nil penſi habeant aucupes iſti Pontificii. inde toxico iſto monaſtico adeò me fermentatum confiteor, aureoq; meretricis *Babylonicæ* poculo ita inebriatum, ut ſiliquas iſtas ceremoniis quidem ſuperficie tenus conditas avidiſsimè devorarim; & tenebrionis inſtar in horrendis iſtis tenebris (conſcientiâ neutiquam reclamante) miſerrimè ceſpitavi; at feliciſsimus mihi intenebris pernoctanti tandem illuxit dies, radiiſq; veritatis

ritati cælitus delapſis ita animum meum illuſtravit Pater ille luminum, ut ſtatim ad ingenium redire, nunciumq; iſtis ſuperſtitionibus ridiculis remittere non dubitarem.

Nec tyrannidem iſtam Pontificiam, conſcientiæ carnificinam, abſq; peritiſsimo ductoris auſpicio evaſi; mihi quippe cæcutienti, & pluſquam cucurbitas lippienti, Collyrium præbuit peritiſsimus animarum medicus, famigeratus ille *Stephanus de Curſol* verè Chryſologus, vir certè, nec meo tantùm judicio ſed totius Europæ calculo magnus, etiamſi maximis com-

comparetur, & in hoc ſeneſcentis mundi declivio tantùm non miraculum; in cujus laudes tàntùm ſi calamũ laxarem, & laſcivienti pauliſper indulgerem, difficilius erit modum invenire laudum quam laudandi materiam; quis enim illum ſtrenuum rigidumq; Evangelicæ veritatis Vindicem neget & latellitem? qui pontificatûs pudenda, Curiæ Romanæ (in Curiam quippe evanuit Eccleſia) tã dextrè aperuit, ſtrophas Jeſuiticas, larvas & impoſturas Monachorum in lucem protraxit, & omnibus propinavit deridendas?

dendas; Adeò ut poſt natos homines, (abſit adulatio verbo) tantum, talem, illuxiſſe vix crediderim, inter *Franciſcanos* ſuos (nec ignota loquor) inter quos familiam duxit. (Deus Bone) quanto cum ſplendore coruſcavit! hominem igitur tanti ingenii bonoq; publico natum inter Monaſterii anguſtias deliteſcere noluit Divina Providentia, ad aulam quippe Regis Galliæ protractum quaſi cælitus delapſum ad collapſos mores reparandos, non ſine grato quodam horrore mirantur aulici, adeo indies illuxit poſtea & inclareſce-

reſcere cepit, tum propter ingenii floſculos tum propter pietatis ſtricturas, ut conſpirantibus univerſi ordinis ſuffragiis literariæ *Venetorum* reipublicæ præficiatur, & profeſſoris publici provinciam ſumma cum laude ſuſtinuit; ubi tremenda Theologiæ myſteria tanta cum gravitate ſimul & acumine elucidavit, ac ſi ipſi cælo fuiſſet à ſecretis, in amænioribus ſanctorum patrum viridariis adeo verſatus, quaſi ipſos medullitùs exhauſiſſet; in ſcholaſticorũ lenticetis, & ſpinoſâ illa Theologiâ ænigmata eorum de facili ſolvit, adeo

compo-

compoſitus ingenium innumerato habuit, diceres *Minervam*, ipſum ex aſſe hæredem adoptaſſe; at cadaverosa eſt illa ſcientia quæ Chriſtum non ſapit, religionem igitur tanta ſedulitate coluit, quaſi huic uni incumberet.

Ipſi facem præferenti Evangelii veritatis lucem, & periclitantis animi ſalutem debeo; nec enim ſubitò aut quaſi œſtro percitus, aut ſydere aliquo ſiniſtro afflatus, cucullum depoſui; ſed poſt maturas habitas de animarum periculo deliberationes, poſt apertiſsima divini verbi teſtimonia in medium prolata

lata ſolidarum rationum adhibita momenta, morbidam illam & deformem Eccleſiam deſerui, in quâ nec piè vivere poteram, nec tutò mori. Faceſſant igitur nunc qui me cothurno (quod aiunt) aut rotâ figulinâ verſatiliorem culpant, quaſi ſi palpum obtrudatur revolare, & ad volutabrum redire, vomitumq; relambere in votis habuiſſem; Ipſum Deum cordis & conſcientiæ ſcrutatorem appello, eundem (niſi veraciter) vindicem; me nihil opinionis vel lucri, omnia conſcientiæ cauſa peregiſſe; viarum tædia, itinerum moleſtias

ſtias periculoſiſsimas con-
ſultò ſuperſedeo: ne ex miſe-
riis meis inclareſcere affe-
ctaſſe videar; Anathemata
interim, bruta iſta fulmina
tanquam in transfugam cō-
torquentur, (auxiliante ta-
men divino numine) fælici-
ter repatriavi, Angliamq;
pulcherrimam Inſulam pa-
triquè (heu defuncto) verna-
culam ſalutavi, Inſulam cer-
te in afflictorum refrigerium
ex induſtria poſitam, ideoq;
à toto orbe divulſam ut ho-
mines à toto orbe divulſos
ſuſtentaret; Inſulamq; de-
mum ſi quam aliam, abſq;
figmento fortunatam, dum
hic

hic in cognatorum oſculis & amplexibus hæreo, nihil mihi magis in votis quam Eccleſiæ Anglicanæ nomen dare, & in gremio ipſius ſponſi quaſi in aureo reclinatorio requieſcere; ideoq, in *Civitatem Exonienſem* irrequieto impetu feror, ubi Reverendum Præſulem *Ioſephum*, virum certe omni ævo digniſſimum, nec ſine honoris præfatione mihi nominandum, ſalutavi, quem, ut in cæteris benevolum, in nullo tamen magis propitium expertus ſum quàm quod animæ meæ ſalutem tam ardenter ſitiebat, ut reducem ovem

quaſi humeris ſuis in ovile reportare non aſpernatus eſt (Oh me fælicem) qui tantum Præſulem, Sanctitatis excogitatiſsimum exemplar, & in toto orbe literario famigeratiſsimum, in Patrem ſpiritualem nactus ſum, Te in Occidentalium bonum conſtitutum Præſulem Tui jactitant *Devonienſes*: charitatis viſcera mihi admirari liceat, cum mihi quaſi catechumeno, & in Eccleſiæ incunabulis vagienti ſperaſtrum porrexiſti, quippe poſt renunciatam Eccleſiæ Romanæ ſuperſtitionem, & fidelitatem Sereniſsimo Auguſtiſsi-

guſtiſsimoq, Regi CAROLO præſtitam, inter confertiſsimam Orthodoxorum coronam reductæ ovis ſaluti congratulantium, paternam benedictionem impartiri dignatus es, & in Eccleſiæ conſortium quam lubentiſsime admiſiſti. Apagite calumniarum artifices, & mendaciorũ architecti, qui charitatem inter Anglos ſolifideanos refrixiſſe clamitatis, quibus tamen nihil antiquius quã balantes oves in Eccleſiæ ovili reduces præſtare; Jamq; mihi in tantæ fælicitatis faſtigio conſituto quid deeſſe potuit? niſi ita natura

comparatum eſſet quod ipſe Paradiſus vileſceret, & faſtidio eſſet, niſi in illo arborem ſcientiæ poſuiſſet divina benignitas. Academias igitur perennes illas ſcientiarum ſcatebras inſalutatas præterire nolui, *Oxonienſem* inprimis Academiam Angliæ, totius Europæ, quotquot demum ſunt, primogenitam; & quotquot unquam ſol vidit, Florentiſsimam; Univerſæ Angliæ roſarium lubenter agnoſco, & benignitate Veſtra (Archi-præſulum Honoratiſsime) adeo exculcum & irrigatum, ut in ſtuporem totius orbis quotidie

ger-

germinet; nec magis de aliqua re gloriari posſit, quàm quòd te ſeptem ſigillorum Cuſtodem agnoſcit. Locus ſanè omnibus adeo in deliciis, ut nemini ſit offendiculo, niſi malevolis, aut ſordidis, qui ultra fœnum & farraginem nihil ſapiunt, quique Bibliothecas noſtras ipſiſſima Muſarum triclinia, in tinearum paſcua tranſmitterẽt. In tam celebris Academiæ album & matriculam (ſuffragãte favore Veſtro) me initiatum gloriór, & quaſi in auctarium beneficii Tui noſtræq; gratitudinis, magiſterium indulſiſti; Tibi igitur

graritudinis meæ primitias (ſed prærogatâ Reverentiæ veniâ) conſecratas volui; cui enim conſultiùs fabulas iſtas diſsipatas dicarem? quem malleum nuperrimè ſenſerunt & confitentur Pontificii? Indignas fateor pagellulas iſtas oculos tuos Eccleſiæ invigilantes morari: unicum à te exoratum velim, (Honoratiſsime *Cancellarie*) nec aliud quam à lectore ſuo petiit *Lutherus* reformatarum Eccleſiarũ Anteſignanus, Oro pium lectorem, & oro per Dominum Ieſum Chriſtum ut iſta cum judicio legat, imo cum multa

tâ miſeratione, & ſciat me aliquando fuiſſe Monachũ, & Pontificium inſaniſsimũ, dogmatibus Papæ & tenebris involutum; nec mirabitur quiſquam hominem ex tenebris productum cæcutire & cæſpitare; Quod ſi veniam mihi indulgere dignetur Reverentia Veſtra, in æternum Tibi humillimæ obſervantiæ nexu devinctum habebis

MARTINUM WESCOMBE.

AD

CANDIDUM LECTOREM

PREFATIO.

CAndide Lector, jam apud ſcriptores mos invaluit, ut totius operis intenti finis aliqua præfatione monearis. Quia vero multos ſequens, nemini præludere cupio, hæc tibi pro more præmitto. Converſionem meam non a ſugillantium maculis emũdare, ſed divinæ veritatis ra-

diis illuſtratam religioſis oſtendere geſtio. Alternantes Dei providentis vices ab hominum captu infinitè diſsitas ſcio, ab hominum conviciis alienas efficere nequeo: neſcio quo fato quod bebete mentis acie non capiunt, illud veneno ſo dentis acumine carpunt: ex Pontificiis multi quem à partibus ſuis deficientem obſervant, eum in abyſſus margine ultrò nutantem, ut ipſi ſentiunt, anathemate feriendo in infernum adagere conantur inter alios quamplurimi tumultuantem dicunt, qui a priſco patrum cultu mutata mente deflectit: primis ſanam mentem, ſecundis religio-

religionem precor; utriſq; quod irradiante dei gratia mihi innotuit patefacio: cur Deus Prædeſtinationis meæ negotium variantibus vicibus alternet, religioſi eſt mirari, profani rationem perquirere, ſacrilegi conviciari, meum vero eſt tacere. Tanta enim intercapedine humana à divinis diſpeſcuntur, ut intellectus noſter in perſcrutãdo divinæ mentis ſcrinio faciliùs cæcutiat, quam oculus in perluſtranda cæli plaga propter minorem interjectam diſtantiam hallucinetur. qui in conflictu tempeſtatis videt cælum perenni compagine coadunatum, patulo chaſmate hiare,

ſtellas ingentes ignium vivacitates foventes tamquã exiguas ſcintillas deprehendit. Sic pariter humana mens Deum ſemper ſibi conſtantem variare decernit, dum juſtum mutata ſorte per erroneos viæ anfractus ad ſecuram patriæ ſedem perducit: quod ſupra captum noſtrum divinè ſanctum eſt, in judicio noſtro impiè ponderatur. Infinitam Dei decernentis voluntatem intra finitos diſcurrentis rationis terminos conglobare aliquis inſulſe tentaret: primæ rationis rationem quærere eſt extra omnem rationem divagari, & ultra potentiam conari, imprudentis eſt, &

ſtulti

ſtulti, immenſum prædeſtinationis pelagus nullus poteſt bolide percontari, in illo juſtus mirabundus ſpatiatur, cujus nomen in ejus alveo exaratum in æternum remanebit: impius fluentis & reſtuentis pelagi reciprocationis cauſas requirens, ejus ſinuoſis vorticibus abſorbetur, ut futura dæmonum præda in littus rejiciatur. Deus ſolus immobilis omnia movet; cælos omni generationum motu expertes propter generationum motum perpetuis curribus agit: terram alternis tempeſtatum vicibus variegat, flumina frigidis lapſibus ſemper revolvit. Et in prædeſtinationis negotio filios è

tenebris in lumen, ex ſervitute in libertatem vẽdicat per ſenticeta ad ſtrophia ducit, ex Idololatria ad ſui cultum allicit: multi coram deorum altaribus proni genuflexerunt, qui coram agni ſolio erecti in perpetuum ſtabunt. Paulus in itinere divino perculſus afflamine ephippiis equi derelictis ſupinus in pulvere jacuit, ut ſupra cæli cardines ſeſe erigeret, Et tunc qui Chriſtianos inſequebatur, eos proprio diſpendio ſervavit. Qui apud ſuos Chriſti nomen blaſphemabat, apud gentes prædicavit. Qui flagella & cruces ad Chriſtianos deferebat, ſtigmata, & mortem pro

Chriſto

Christo sustulit. Christus denique prædestinatorum exemplar, sub variante sorte voluntatus cum æqualis esset Deo, similis factus est homini: quem dum in cruce viderunt duo latrones appendices, unus deum languentem irrisit, alter confessus est, qui ex furcifero sanctus, ex latrone fidelis, ex impio justus evasit, in tam sublimi altitudine intellectus meus hebescit, lingua effari non valet: hæc mihi cavenda fuit cautio, ne conviciatoribus conviciarer, ne cupidis vicissitudinis meæ rationem redderem. Illud solum optavi quod debui. Lumen nempe quod mihi in tene-

bris affulſit omnibus oſtendere & tibi notum facere me poſt deprehenſum mendacium veritatem apprehendiſſe. Videbis vincula, quibus ſub Romani Pontificis tyrannide *ſqualle-bam, diſrupta, Eccleſiam* Romanam truncum *ſine* capite corpus, *Infallibilitatem* Papæ eluſam, *Purgatorium in fumos evolans, Tranſubſtantiationem accidentia ſine ſubjecto* ſuſtentantem nullo *fundamento* innixam, *Sanctorũ invocationem* explosam. *Si luſtus ſis de converſione mea lætare, ſi humanus rudi loquelæ meæ parce, ſi pius preces ad Deum effunde ut in*

incep-

incepto cursu non deficiam, dum indeffectibilem justitiæ coronam tibi auspicor. Vale.

FABULÆ PONTIFICIÆ EVANGELICÆ

Veritatis radiis *diſſipatæ.*

CReata omnia, ut experientia convincitur, volubili mobilitatis æſtu perpetuo rapiuntur: quidquid æterni mundi opificis virtute prodiit, ſpiritus eſt, vel materia, è quibus tamquam ex integris partibus orbis univerſus conſurgit. Spiritus ob defectum communis ſubjecti nulla

nulla generationis viciſſitudine corrumpitur, ſed propter volucrem cogitationum diſcurſum novis rerum imaginibus frequenter alternatur. Materia, quæ ad corruptionem proprio pondere degravatur, modo ſuccedentibus formis variat, modo accidentium, & decidentium incrementis, & decrementis immutatur. Omni creato propter bonorum præfixum terminum innatum eſt ad meliora tendere, propter ſubjecti capacitatem ad unum finitate reſtrictum, non poteſt de novo aliquid acquirere quin prioris jacturam patiatur. Quamvis homini non ſit indecorum, quod proprium eſt, mutari, imo ſæpe motus ad laudem perducat, modo ad bonum tendat. Non deſunt tamen importuni ſycophantæ, qui quemcumque novis ſtudentem obſervant, eum nulla habita facti ratione le-

vitatis arguant. Quos ego non plurìs facio quàm nebulones, qui quod ignorant, culpant. A Pontificiis aufugi, ad Chriſtum confugi, & in effugio refugium, in motu requies, in jactura lucrum, bene motus ſum, ne male commoveamini, mentem non infeliciter mutavi, qui malum in bonum commutavi, in defectione mea nihil damni perpeſſus ſum: a vobis igitur injuſtè damnabor. Sed ne irritam de motu quæſtionem moveam, mea prima voluntate motrice actum fuiſſe oſtendam, ſi per ſcripturas primæ voluntatis interpretes certiſſimas, fugã à pontificiis mihi imperatam eſſe comprobem. Hæc enim ſcriptura, quæ à Sodomitis cæleſtis gratiæ aſperginе ablutis, nec a ſordibus ſuis lotis [a] Lotumh junctum; & à Babylonicis Hieremiæ monitis edoctis, nec reſipiſcentibus [b] populum

[a] Gen. 9. 11-12.

[b] Hier. 51. 9

Dei

Dei, & à falsis doctoribus[c] Timotheum segregavit, me à pontificiis doctoribus pariter sejunxit: qui à veritate auditũ avertunt, ut ad fabulas convertantur. Hæc veritas non est probatu difficilis, quæ in contexta præcipuarum fabularum serie verissima perhibebitur.

c Tim. 4. 15.

d Tim. 4. 4

PRIMA FABULA
SIVE,
DE UNIVERSALI EPISCOPO, ET *Ecclesiæ capite visibili.*

PRima Fabula, est primus Episcopus caput totius Ecclesiæ militantis. Nō magis delirat qui chimæræ pedes cudit, quam hallucinatur qui caput Ecclesiæ compingit. Impossibilis est in Ecclesia aliquod caput, homo, quia non possibilis est alicui hominum influxus gratiæ in Ecclesiæ membra. Solus igitur Christus caput sit Ecclesiæ, qui est unicus fons gratiæ. Vir caput est uxoris quemad-

modum

modum Christus est caput Eccle-
siæ, secundum sententiam Apo-
stoli. Sed nemo jus vel nomen
capitis quod habet in uxoris cor-
pus alteri delegare potest. Cùm
adultera sit si vivente sponso alte-
Rom.6.9. ri se jungat. Falsò igitur Romanus
Pontifex vivente Christo, qui am-
plius non moritur, Ecclesiæ capi-
tis jure & nomine gaudet. Qua-
re qui cupit dici caput Ecclesiæ,
desiderat sponsam Christi audire
Eph. 5.27. adulteram, quæ sancta est, & im-
maculata. Nihil adhuc diximus,
parum velitati sumus, inimici cu-
tem libavimus tantùm; illum enim
nacti sumus hostem, qui abscisso
capite non prostratur, sed sicut
d Apo. 13. hydra Frequenti sobole sibi capi-
3.5. ta sufficit, & extollit. d Vidi u-
num de capitibus ejus, quasi oc-
cisum in mortem, & plaga mortis
ejus curata est; datum est ei os lo-
quens magna & blasphemias, &
dixit

dixit. Si ex ſponſi titulo capitis Eccleſiæ jure & nomine non gauderem; ex eo tamen Eccleſiæ capitis nomen mihi tribuitur, quod totius Eccleſiæ regimen debeatur velut Chriſti vicario, & Petri ſucceſſori. Quam incaſſum vero tantos ſuperbiæ *hiatus aperuerit ex ſequentibus* patebit.

Duarum Chriſti naturarum diverſæ ſunt proprietates, quæ per hypoſtaticum nexum divina humanis, humana divinis copulantem ex duplici diſtincta natura unicæ perſonæ indiſtinctè tribuuntur. Propter quod verbum [a] increatum, & creatum, [b] creator creatura factus dicitur, dominus univerſi ſervus Dei; temporum genitor in tempore genitus, pater futuri ſeculi infans natus, parvulus datus nominatur. Hypoſtatica Dei connexio attributa divina homini communicat, nec aliquid

[a] Naz. or. 18.
[b] Hy. eph. 2.

ex propriis tollit, vel utrique communia confundit. Sed ſciunt catholici Chriſtum per divinitatem immortalem in humanitate mortuum; per illam omni poteſtate ſuperiorem, per iſtam angelis inferiorem; per illam extra mundi pomeria infinitè Immenſum, per iſtam anguſta loci ſuperficie circumvallatum; per illam orbem condidiſſe, & leges tuliſſe, per iſtam in orbe natum eſſe ex muliere, factum ſub lege. Ex quo nobis obſervandum eſt, per quam naturam Chriſtus jus habuerit, eo regimine Eccleſiam gubernandi, quo duriſſimo ceremonialis legis ſublato, evangelii ſuave jugum animabus jure impoſuerit. Ille ſolus jure merito dicitur Legiſlator, qui violatæ legis poteſt eſſe condignus ultor. Unde homines qui animabus pœnas infligere neque ũt, legem neque præſcribere poſſunt.

Quare

Quare Christus ipse ut homo non poterat aliquem vel in abyssum tenebrarum dejectum affligere, vel supra cæli cardines evectum beare. Quod ipse Zebedeorum matri pro liberis suis, ut in solio majestatis unus, & alter à dextris, & à sinistris sedentes ejus latera munirent, temerè roganti clarissimè significavit. Postquã enim regnãdi cupidine sitientibus, passionis, & aceti poculum propinasset, & ipsi se calicem exhaurire posse testarentur, responsum audiverunt, se quidem de torrente in via bibituros, sed propterea capita sua non posse erigere, utque ad illas primas sedes, quas Christus homo non poterat illis concedere, quæque illis contingent quibus à patre paratæ sunt, quoniam Hierusalem sanctam non ingrediuntur illi quos filius in mundo dilexit, sed quos pater ante mundi constituti-

onem elegit. Leges igitur evangelicæ libertatis, & captivitatem, intellectus in obſequium fidei proponentis hominem Deum, virginem matrem, mortuum mortis victorem, è pulvere ſepulchri ſurgentem ad ſplendorem vitæ æternæ, Chriſtus omni animæ, cum promiſſione præmii vel penæ illa poteſtate impoſuit, non illâ quam ex humana natura habuit, ſed eâ quæ per unionem hypoſtaticam in cœlo & in terra illi data fuit, quâ credentibus cælum aperuit, in terræ penetralibus infernum infidelibus præparavit. Videmus perſpicuè divina virtute Chriſtum indiguiſſe, ut ceremoniarum legem divina virtute conditam deſtrueret. Et novam conſcientiis præſtitueret, quod ſoli Deo proprium eſt. Quare regimen quo Chriſtus Eccleſiam gubernavit, divina, nõ humana virtute exercu-

it, nec alicui hominum delegavit, cui unionem hypoſtaticam, per quam divina virtus ad illud exercendum *neceſſariò communicatur*, non poterat concedere. Quouſque tandem abutetur populorum ignavia Seductor orbis terrarum, qui ſanctæ Eccleſiæ regimen, & gubernandi poteſtatem quam Chriſtus habuit titulo ſucceſſionis ſibi falſo arrogat? Quem ad finem ſeſe effrænata jactabit audacia? qua infirmus homuncio erga miſeros in umbra mortis cæcutientes ſe deum gerit: Se Deum geſſiſſe fortaſſe negabit, qui dictitat ſe ſervum ſervorum Dei, ſed fucatæ humilitatis confeſſio, erit falſæ poteſtatis abnegatio. Attamen legem Evangelicam credendi in Chriſtum, ad juſtitiam abrogavit, dum ſe Scripturarum, & Evangelii Iudicem ſtatuit. Sic enim in Papam non in Chriſtum crederemus, qui evan-

gelio propter Papam non propter Chriſtum fidem adhiberemus. quod inſuper Chriſtus & Lex prohibuerunt, Papa permittit, imo omnes indulgentiarum benedictiones in illum conjicit, qui in Regem ſuum violentas manus injecerit. Unde illam poteſtatem oriundam dicit, vel qua virtute ſeſe deo opponit, ambigentes certos faciat. Certe cum Deo de pari ludit, & omnipotentiam eludit, qui legem divina virtute conditam delere preſumit. Aliqua tamen ſiparia hiſtrionum more explicant, ut depoſitis veſtibus perſonas idoneas mentiantur, omnes papæ gregales pontificem ſuum Deum mentita virtute ſimulantem, ita divinis proprietatibus excolunt, ut non Deum, ſed Dei vicariâ operâ perfunctum diceres. Super oculos cæcutientium in dies magis nubilum denſant, qui vero

ſemel Dei gratia irradiati ſunt, ab iſtis verſutis mendaciorum architectis nunquam decipiuntur, horrendum eſt quod Papa reges è ſolio deturbet, & Principum ſicarios ſollicitet, omnesq; ſui ſequaces pio prætextu deludat, Chriſti autem ſectatores, Chriſtos domini venerantes contra parricidam Eccleſiam meritò accenduntur. Rubent *adhuc* regna regum cruore madefacta, Anglia quondam antequam ſuperbi tyranni jugum excuſſiſſet, regem ſuum in cute lacera cruentis flagellorum ſtylis *deformatum* à monachis Papæ miniſtris ſuſcepit. Gallia noviſſimè in hoc ſeculo Papæ gladio in Henrici magni internecione perfoſſa cecidit, quæ prius in legato regis vapulaverat; & Henrici tertii ſanguine cruentata ingemuerat. Quid autẽ Evangeliũ diligentius præcipit quam [a] fidem in

[a] Mat. 9. 29.

Christum quid Scriptura cautius prohibet? quam contemptum in Christum domini. Sed ut feram lanienæ tyrannidem, quam orbis universi memoria perhorrescit, aliquo fuco variet, legitimum imperium meditatur. Se à Deo missum respondet, ut cum pleno potestatis dominio Ecclesiæ regimen habeat. Sed quam spem hæc dicendo concepit, hæc audiendo amittit. Qui Christo in missione succedit, ad ea mittitur ad quæ Christus missus est. Sed ad confirmandam non ad solvendam Evangelii legem missus est Christus. Papa igitur, qui quod Christus permisit vetat, quod prohibuit imperat, in missione Christo succedere non potest: nam Christus uxorem ducendi Apostolis libertatem fecit, Papa presbyteris abstulit. Christus virginitatem non præcepit, Papa injunxit.

Chri-

Chriſtus in ſe credentibus vitam promittit; Papa prius Evangelio quam ſibi fidem adhibentibus mortem minatur. Chriſtus omnem animam poteſtatibus ſubditam facit, Papa pro libidine ab obſequio, & principis cultu liberat. Neſcio, quænam ſit illa dominandi prurigo, quæ Papæ frontem ſupra omnia Principum tempora trino diademate decuriatam ita ad temeritatem perfricat; ut illius vicarium ſe jactitet, cujus inimicum ſe gerit. In illa captivitate rubore ſuffundebar, quia pro mea libertate Chriſtus cruore perfuſus rubuerat. Durum Romani tyranni jugum, ſub quo tot populi nutant in baratrhum, totis cervicibus excuſſum projeci. Qua libertate tamquam futuræ beatitudinis arrhabone exhilaratus manicas, & omnia ſervitutis vincula hic in Religioſæ libertatis ſacra-

Ioh. 11. 25.

rio

rio depono, & tholo ſuſpendo. Ad Chriſtum preces effundo; ut quos ſanguine redemit, à tyrannide eximat, Cui finem aliquando faciet, non Romani Pontificis modus, ſed divini numinis nutus. Nam quandocumq; voluerit, caput quod trium coronarum circulato ambitu circumactum tumet, Epiſcopali Mitra dehoneſtabit, imperium quod in ultimos mundi receſſus profert intra Romanæ diocæſis metas coarctabit. Omnium Eccleſiarum populatorem Romanæ cuſtodem præficiet. Sed ut verbis paucis imperium magnum perſtringam, & dum omnia breviſsimè ne aliquod tamen incautè tantæ molis fundamentum non eruam, accurate attendam quid Petrus præ ſociis habuerit, ut Papæ *ſupra ſocios*
Mat. 16. 18 *Dominium concedere poſſit. (Tu es Petrus, & ſupra hanc Petram ædificabo*

ficabo Ecclesiam meam) *Sed qui hæc effatus est per se, per Paulum ait, ædificati estis supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Quid Petro præ Apostolis, quid Apostolis præ Prophetis in iis Scripturæ tribuunt? omnes æqualiter Ecclesiam ædificant, qui per idem Dei verbum Ecclesiæ fundamenta jaciunt. Nullus per se Ecclesiam firmat, quia omnes in se erroribus obnoxii cadere possunt. Vnde non in ipso Petro sed in verbo fundatur Ecclesia; in ipso vero lapide Iesu, quia ipse Iesus erat verbum, apud homines erat verbum, sed homines non erant verbum. Verbum vero erat apud Deum, & Deus erat verbum, & verbum caro factum est, ut Apostolos & Prophetas novissimè *loquens in carne divino testimonio confirmaret. Pasce oves meas soli Petro* Ioan. 21. 15. 16.

Petro dicitur. Prædicare evangelium omnibus injungitur. Nihil plus Petro quam reliquis Christus largitur. Claves Regni cælorum ſoli Petro promiſit, poſtea omnibus ſimul tradidit; quid poſſidet hic, quod non teneant iſti? Miror ſupra modum, cur homo purpura nitens, gemmis ſplendens, diademate fulgens longa ſeculorum ſerie revoluta prædeceſſorem repetat Petrum hominem piſcatoriâ operâ vilem, ærugini ſemper intentum, gracili lare victitantem, poſt Apoſtolatum etiam mendicum, ruſtico amictu, tenuiſſimo victu, ſquallenti vultu. nulla cum pompa incedentem, quomodo enim Papam ita decepit amor dominandi, ut quæ ſoli Petro promittuntur, ſolus poſſidere velit; quæ Petrus imperavit, ſolus præſtare renuat. Nulla eos adhuc ſpecies ſimilitudinis conci-

liavit

liavit. Succeſſor enim Petri regibus imperat, Petrus imperatori obtemperat. Iſte Presbyterorum principem ſe jactitat, ille præsbyteros alloquens ſe in præsbyteratu ſocium, ſicut & in gloria conſortem dicit. Iſte omnes mittit, à nemine mittitur, omnes judicat à nemine judicatur. Ille ab Apoſtolis, ut Apoſtolatu fungatur inter Iudæos mittitur, & obſequitur, à Paulo objurgatur, & obtemperat. Video ut quam eximiæ Poteſtatis ſpectationem ſuſcitaſti, hanc prædeceſſor, quem repetis, non confirmet. Iam omnes Romanæ tyrannidis fautores, proclamatæ veritatis conſcios interpello, ut nullum malæ conſcientiæ reatum ægrè ſuſtineant. Sed veritatem, quam extinguere conati ſunt, in conſpectu omnium gentium proponant, nec diutius fabulentur.

SECVN-

SECUNDA FABULA SEV, DE INFALLIBILITATE *PAPÆ.*

Cap. II.

Secunda Fabula, & omnium peßimus error eſt Papam non poſſe errare. Per fraudem qua ſe omnibus erroribus viam occludere dixit ſeductor orbis terrarum, omnes in Eccleſiam errores induxit. Ex eo, Papæ fautores homines omnes eludunt, quòd hominem qui non poſsit falli unum eſſe teſtentur. Sed ne quam nobis altercationis componendæ

nendæ propoſuimus infallibilitas regulam fallat, ex ſcripturarum oraculis Papam infallibilem audiamus, ut affirmantibus aſſentiamur. Qui ſupra omnis poteſtatis ſolium faſtigium Romanæ ſedis extollunt, ſi quam rem ſtruendo immodico imperio moliuntur, hanc per ſcripturas non corroborant. Infallibilitatem ſive errandi impotentiam eximiæ poteſtatis argumentum ducentes, ut ſedem, quam ſupra modū erexerunt, aliquo modo fulciant, Papam tanti tribunalis moderatorem,& famoſiſſimi tripodis Vatem erroribus expertem vendicare conantur: cum nullum ſcripturæ locum adhuc obſervaverint, ad ejus imperium aliquo fulchro ſtabiliendum, illum unum ſibi *viſi ſunt ad tyrannidem inflectere poſſe (ſed ego rogavi pro te ne deficiat fides tua)* quia verò veritas mendacio

non

non ancillatur, illum ſcripturæ locum ad robur, & firmamentum Eccleſiæ Romanæ imperii ſatis infeliciter detorquent, quia omnis Eccleſiaſtici dominii ſubverſionem continuò ſubſequitur. Poſtquam enim, cænâ cum diſcipulis confectâ, & morte nunciatâ Chriſtus ortam inter illos dignitatis, & principatus contentionem compeſcuiſſet, injecit diaboli petitionem illos tentandi, & Simoni præ cæteris trinâ negatione lapſuro aſſeruit, ſe pro illo preces ad patrem allegâſſe, ut etiam ſi labatur non ſuccumbat. Quale eſt iſtud imperium, quod ibi ad cælum uſque conſurgit ubi à Deo ſolo coæquatur? Eccelſa ejus proculdubio in ruinam nutabunt cum fundamenta in parietinis jaciantur. Sed ut rem propiùs aggrediamur, infallibilitatem, quam Romanus Pontifex, ex Petri ſucceſſione colli-

git, an jure habeat necne attentè perpendamus.

Ex hoc loco fidem non ſalutis, ſed declarationis, certitudinem, non juſtitiam, non habitum fidei, ſed infallibilitatem eloquii in rebus fidei papa jure ſucceſſionis intendit. Multorum labia cuſtodierunt ſcientiam, quorum corda non retinuerunt gratiam. Sic Phariſæi peſſimi, legem fideliter tradiderunt. Sic homines omnis gratiæ habitu ſpoliati articulos fidei quos à parentibus didicerunt nepotes ſuos docere poſſunt: ſic pariter Sibyllæ multa de Chriſto vaticinatæ libros ſuos inſolentia rerum, & lepiditate verborum omnibus commendantes, quamplurimos ad Chriſtum perduxerunt, nec ſe ad illum converterunt. Infallibilitatem, ſive divinam veritatem, eloquendi certitudinem hominibus omni gratiæ habitu

bitu Ipoliatis Deus potest concedere, & dæmonibus aliquando concredidit. Fides igitur salutis, & conversionis ad Deum gratia est ab infallibilitate diversa, cum ultima in pagano, & dæmone reperiatur; prima non compatiatur. Illum igitur scripturæ locum Papæ adstipulatores ad conatus suos pessimos pessimè detorquent, ut inde infallibilitatem extorqueant. Cum gratia ab infallibilitate diversa necessariò deducatur. Nam fides conversionis est gratia ab infallibilitate diversa, sed gratia ex illo loco necessariò deducenda est fides conversionis: ergo gratia ex illo necessariò deducenda est gratia ab infallibilitate diversa. Major non veniet in dubium, si prius dicta veniant in mentem, minoris facillima erit probatio si fiat versus integra lectio. *Sed ego rogavi pro te ne deficiat fides tua,*

& tu aliquando converſus confirma fratres tuos) per fidem quæ in illo loco promittitur Petrus eſt aliquando convertendus, fides igitur, quæ in illo continetur, & ex illo neceſſariò deducitur, eſt fides converſionis. Quamquam tamen locus ille infallibilitatem continens, iſtorum ſententiis, & optatis reſponderet, non tamen Papæ libidini ſatisfaceret. Papa Petri ſucceſſor haberi cupiens, ejus paupertatis hæredem abhorret, illumque iis rebus ditat, quibus ipſe cupit ornari. Sed etiamſi iſte appetitus dominandi penè ſit ei infinitus, & quaſi non habens modum; unus tamen eſt modus Succeſsionis, per quam omnia, & ſine qua nihil ex Petri bonis ad ſe derivari poteſt.

Quapropter de infallibilitate quam *ſucceſſione repetere nequit, fruſtra gloriatur. Cum enim ſimi-*

lia

lium ſucceſſorum in ſimili re ſimilis ſuccedendi ſit ratio; ſi Petrus Chriſti ſucceſſor infallibilitatem *jure* ſucceſſionis *à Chriſto* non habuerit, Papa Petri ſucceſſor à *Petro* *jure* ſucceſsionis ſuſcipere nequit. Sed Petrum à Chriſto eo jure non habuiſſe probabimus, ergo nec Papam à Petro collegiſſe concedemus. Fidem ad Salutem, vel ad declarandi certitudinem *neceſſariam*, obſcuram, & tenebris obnubilatam Chriſtus non habuit, qui clariſſimis gloriæ radiis illuſtratus *ſumma* beatitate fruebatur. Quare in iis quæ Chriſtus non habuit, Petrus illi ſuccedere nequit, *ſed fidem* ſalutis, vel declarationis obſcuram, Chriſtus non habuit, *ergo in* fide ſalutis, vel declarationis obſcura Petrus illi ſuccedere nequit. Nunc *illud in Papam* retorqueamus, in iis in quibus Chriſto Petrus non ſucceſſit, Pa-

pa Petro ſuccedere nequit. Sed in fide ſalutis, vel declarationis Chriſto Petrus non ſucceſſit, in fide igitur ſalutis vel declarationis Papa Petro ſuccedere nequit. Hic autem à calce redeamus ad verticem, quamvis in illo loco infallibilitas concederetur, nil inde boni Papæ contingeret cum hanc ſucceſſionem Petrus conſequi non valeret.

Omnia jam illi gratis dabimus, ut nihil coacti concedamus. Etiamſi quod non credimus fateremur, & impoſſibile, quod oſtendimus, aliquando tamen accidiſſet; ut Petrus nempe infallibilitatem à Chriſto ſucceſſione ſuſcepiſſet. Cum in omni gratiæ ſucceſſione inter deum & homines, de transfundenda in poſteros gratia ſub certis conditionibus *fœdus* intercedat; dum pactum ſimile deeſt, omnis Petri gratia nil Papæ prodeſt. Sic integro Adamo innoxiiſque

noxiiſq; filiis terræ, & animalium dominium; Abrahamo, & ſemini ejus benedictionem, & circumciſionis gratiam cum utroque pro ſe, & poſteris inito fœdere ſub conditionibus ſancito Deus benignè pollicitus eſt. Quid igitur Romanus Pontifex? *ſine fœdere, ſine jure, contra fas, contra legem, contra naturam (cum rerum non congruentium homini ſit appetens ipſe homo)* quidquid Petro Deus conceſſit, vel ipſe affingit, ut avita bona repetit, ut hæreditatem appetit, ut proprium jactat quamvis in orbe dominium, in Eccleſia principatum, in doctrina certitudinem Deus Petro concedat, & omnibus gratiis velit ornatum, cum de transfundenda in ſucceſſores gratia pactum deſideretur, illam Papa incaſſum ambit. Sed ad illudendam illam profundam ingluviem, animi gratia quòd ſine lege ſibi

vendicat, ſine jure condonabimus, & illum ad ſatietatem uſq; non explebimus. Tanta enim ejus eſt appetendi cupiditas, ut ea minor ſit petendi licentia; ſicque poſtulandi voluptas devincitur, nec habendi cupido ſatiatur: omnes Petri gratias rogat Romanus Pontifex & concedimus, non ut licet, ſed ut lubet diſputationis ergô: majora tamen deſiderat quàm rogat ubi licet omnia rogare. Nam infallibilitatem quam Petrum non habuiſſe cognoſcimus, ſibi inſuper tribui deſiderio flagrat. Sed quòd duram Romaniſtarum pertinaciam vincit, invictiſſima eſt experientia, qua infallibilitatem, quam fabulantur, Petrum non habuiſſe, *Papam* non habere manifeſtè deprehendimus. Petrus audito promiſſo, ex quo eum Papicolæ clamitant infallibilem, imò è cælo Sancti Spiritus delapſo ſpirami-

ſpiramine afflatus de Gentilium vocatione ambigebat. Damaſus Pontifex præsbytero Hieronymo ſcriptutarum exemplaria inter ſe pugnantia, & falſa, quæ varia erant, ſicut ipſe dixit Hieronymus; ut aliquâ concordiâ componeret juſſit. Quod ſtultè ſani, impiè pontificii factum criminarentur; ſi vir infallibilis, & rectitudinis ſibi conſcius veritatem, quam propalare recuſaſſet judicio falſitati obnoxio ſub erroris periculo credidiſſet. Dum Papam hominem miſerum, voluptatibus fædum, judicio erroneum, vitio culpabilem à paraſitis ſuis divinis virtutibus excultum conſpicio, mihi videre videor pauperculum in triviis ſtipes errogantem, ærugini ſemper intentum, & ſordibus à mimo quodam regiis veſtibus ad luxuriem apertis indutum, qui per lacerum pannum ubique conſpicu-

us cutem ſcabie cruſtatam, & ſquammeam enudans, inſolito faſtu ſolitum ſquallorem augeat: vitia ſiquidem contrariarum oppoſitione virtutum magis apparent, & peccata, propter quæ fatentibus miſeremur, in iis qui contrarias virtutes fuco ſimulant, rigorosè damnamus. Enimvero qui infallibilis oraculi & Romani vatis hodie partes agit, ſi ſibi ſit erroris neſcius, Scotiſtis & Thomiſtis cur non erit veritatis conſcius? qui argumentis lepidè inflexis, & Scripturæ locis ad nutum deflexis de efficacia gratiæ, & Deiparæ conceptione jamdiu altercantur.

Romanus Epiſcopus Pontificis qui nomine gloriatur, errantis pariter nomen ut audiat neceſſe habet; omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumitur, qui moderatè ferre poſſit ignorantes, & errantes

rantes, quandoquidem & ipſe circumdatus eſt infirmitate, & propter hanc debet quemadmodum pro populo, ita & pro ſe immolare pro peccatis: ex quibus Romanum pontificem in moribus, & doctrina, in fide, & ex ſede erroribus obnoxium eſſe colligimus, cum nec in cathedra ſedeat, nec in fide definiat niſi prout pontificis munere fungitur, & omnis Pontifex pro ſe ſicut & pro populo in moribus, & fide erroneo hoſtias Deo offerre teneatur. Quid pluribus opus eſt? quæ in Scripturis clarior legitur veritas? omnis Homo mendax, nihil in uſu videtur communius, nihil in orbe auditur frequentius, nihil in ratione colligitur facilius, imo verò inter philoſophos nihil concluditur certius. Veritas apud illos, qui verè de vero dixerunt, eſt conformitas actus cum objecto: unde ubi con-

for-

formitas desinit, ibi hominum veritas deficit quæ in indivisibili consistit. Verum dicit, qui Alexandri corpus ipsius pede majus cognoscit, & affirmat, quia cognitio est objecto conformis. Sed intellectus humanus ingenita mobilitate Vagus, ab Alexandri corpore, ad Herculis clavam cogitatum detorqueat, transiit actus, non remansit ei connexa conformitas, deperiit veritas: aliquis denuò Alexandro destructo talem propositionem astruat, veritatem destruet, quia conformitas necessariò ruit, quando fundamentum, cui innititur, labefactatur. In ipso etiam momento in quo aliquis talem propositionem cognoscit vel enunciat, labitur tempus, & mox aufugit veritas, quia mutatur conformitas, nisi varietur tempus, & à præsenti ad præteritum transeat propositio: inter homines intellectus

ctus divagatur, objecta pereunt, tempora fluunt, & mox veritates effluunt. Apud Deum vero secus evenit; omnia veritatem fovent, roborant, firmant; ita ut ultra omnes ævi terminos perennet. Intellectus in vario cogitationum vado non fluctuat, qui unico actu omnia apprehendit. Objecta non pereunt; Deus enim vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt, & omnes lubricantes rerum vices, tamquam unum, & constans objectum intelligit, tempora non labuntur. Quia qui tempus, & temporũ tempestates fecit, ante & tẽporum vicissitudines immobilis erat. Solus igitur Deus verax, et omnis homo mendax, quamvis arte magno labore quæsita, ponticem suum Romanistæ à minimi errati suspicione remotissimum dicant, hominem tamen fateri cogentur, inde erroneum coacti fatentur. Nam Scriptura, quam in-

fallibilis homo veram dicit, omnem hominem mendacem teſtatur: quid igitur? vel fallit homo, vel decipitur Deus. Vni eſt mihi aſſentiendum, alteri non eſt fidendum. Credo in Deum, non confido in hominibus. Sed quid dicam Pontificiis cum omni fiducia, & ſine ulla veritatis indagatione Papam ſuum velut infallibilem anteſignanum ſequentibus, in viis eorum perditio, quia in filiis hominum non eſt ſalus. Greſſus eorum exitus ſuos explicabunt in morte: quia unica eſt via, quæ ducit ad vitam: quam non ſequuntur, qui Papam ſectantur, & unius hominis verbis tanquam divino oraculo fidem adhibent: quia ut ait Apoſtolus per fidem ambulamus, fides verò per auditum, auditus per verbum Dei: per aurium tractum influit verbum, & in corde naſcitur fides. Fides Dei in-

quam

quam quæ per verbum Dei, non hominis generatur. Papam Scripturæ fallibilem quidem convincere, ſuperbientem vincere non poſſunt: mirum ſiquidem in modum ſeſe excruciat, ut Scripturæ vim patiantur, & ad tyrannidem ſpeciem veritatis ſufficere putat, eò devenit impudentiæ Tyrannus orbis terrarum, ut cæleſtis regis verba neget, ne terreſtre imperium abneget. Deum ſibi ancillari vult, ne homini homines pudeat obedire: omnes Scripturæ locos, qui infallibilitatem denegant evertendos, unum, qui non tribuat, pervertendum exiſtimavit; ne propter omnis terræ dominium omne jus non violatum videretur, ex doctrinæ infallibilitate dominationis certitudinem futuram evidenter cognoſcit, & ardenter cupit. Per hanc ei licet, primas in terris obtinere ſedes ſummæ omnium

nium rerum præeſſe; orbis univerſi coronis totis viribus inhiare. nam ubi infallibilis Scripturarum interpres haberi poterit: cum ſacras imperatorum cervices inquinatis calcibus obteret; cum ſceptra regum è manibus filiorum extorquebit. Cum ſubditos in proprios reges armabit, ipſe claſſicum perſonans, nec receptui canens, donec è ſolio deturbentur, qui tyrannidem ejus perturbant, ex variis ſacræ paginæ locis hanc poteſtatem ſibi conceſſam eſſe dicet: nam cum idem poſſit judicare, qui dixerit, quid eſt quod non liceat ei dicere, cui licet idem judicare.

TERTIA

TERTIA FABULA SEV, DE PURGATORIO.

Cap. III.

TErtia *Fabula*, & omnis diſſidii incendium eſt purgatorii flamma, quæ populationibus ſuis orbem terrarum longè latéque vaſtavit. A Purgatorii fabulatoribus tamquam à delirantibus hæreticis ſecedunt omnes, qui vel minimo veritatis amore detinentur; quique ſibi cavere norunt tãquam ab infeſtiſſimis latronibus fuga ſibi conſulunt, cum populus Chriſtianus pietati addictus, ad

ſuperſtitionem adductus impiorum Doctorum faſcinationibus cæcutiret; qui ſponte munificus erat inanibus terrorum figmentis ad ſtipes importunè ſolicitatur: ut à fictitia purgationis flamma, & à peccati pænâ redemptoris ſanguine abſtersâ pecuniarum ope ſe liberaret; quem tamen Apoſtolus non auro vel argento, ſed Chriſti ſanguine redemptum teſtatur: hæc optimi quæſtûs ars inter fabulatores notiſſima, à priſcis ducta temporibus ad Pontifices inſatiabili metalli fame laborantes commodè pervenit, & accurate ſuſcepta eſt. Novorum impoſtorum magiſtri fuere veteres deorum antiſtites divinationibus ſuis quæſtuoſi, quos Chriſtiani turpis lucri cupidi imitari voluerunt, ut ementita horrendorum ſpecie, omnia Chriſtianorum bona exhaurirent, ſicut auſpicati vates omnia

fortuna-

fortunarũ ſpolia portentoſis omnibus paganis deprædati ſunt; inter iſtos aliqui Deum ſuum averruncatorem ad imminentes clades à populo depellendas, modo ejus non deeſſent pecuniæ, ad futurum pollicebantur: aliqui deum ſuum profunda gula famelicum, & capaciſſimo ventre, Manduconem dicebant, ut à ſuperſtitioſa plebe edulia opiparè condita in illius phanum deportarentur, quæ omnia mellita cibaria ab helluonibus ſacerdotibus ſemper jejuno numine vorabantur; qui vero oracula in ambiguis ſciſcitabantur non accipiebant niſi dediſſent, & donec crumena fuiſſet aperta, os numinis clauſum obmuteſcebat. Aliqui denique erant, quos Purgatorii fabulatores verius imitantur, qui Deum ſuum ex naturæ motu vel officii ratione morbos populis infligere dicebant, quem nummis

debebant ſibi conciliare propitium ne ábſque munere experirentur iratum. Sed ut antiquis, qui excepto unico obolo nauclero ſolvendo nihil à mortuis corradebant, novi fabulatores longe ante cellerent, plurima à vivis indulgentiarum fraude furati, majora à mortuis vi flammarũ extorquent. Iſti prædones tyrannici animam è corporis ergaſtulo liberam, mox in flammarum carcerem conjiciunt, quem pro diverſa capitum vertigine diverſi modè collocarunt, [a] aliqui purgationis fornacem, & fabuloſam juſtorum arcem Lymbo puerorum inferiorem, & inferno contiguam dixerunt. [b] Alii Lymbum inter infernum, & purgatorium medium fecerunt: omnes tamen eadem avaritia accenſi eandem flammam accenderunt, quæ animas veniali labe culpatas, vel culpa remiſſæ, pœnæ

a Sotus 4. d. 14. q. 1. a. 3. Palud. q. 3.

b Tho. 3 d. 22. q. 2. a. 1.

penæ reas continuis incendiis probet, donec per ignem purgentur à maculis, vel condignis cruciatibus ſolvantur à pœnis, vel auri, & argenti pondere redimantur. Qua fabula nonnihil præterritæ mæſtiſſimæ viduæ, quæ ſponſum deperierunt, orbati liberi, qui ingenito genitores amore proſequuntur: dum eorum animabus fabulatores pontificii nullum cruciatus intervallum impetrant, illi erogandarum pecuniarum nullum modum faciunt. Sic uno die pro uno homine, à mercenariis ſacrificulis centum miſſæ plenis buccis, & elatis modulis decantantur, & demiſſo ſuſurramine totidem miſſæ immuſſantur: pro quibus ingentes profunduntur pecuniæ, non enim rapaces ſacrificuli aliquo commiſerationis ſenſu animarum anguſtias modulis ſuis fallere, vel earum flammis refrigerium aliquod

miſſis ſuis immiſcere volunt, ſed operam ſuam avaritiæ ductu magno pretio locare intendunt. Monachis inſuper (*quorum vita mors eſt*) optima bona à mortuorum teſtamentis piè delegata obveniunt, ut animæ continuis flammarum incendiis ambuſtæ miſerentes, tam quam amici amplis donis conciliati, illam orationibus ſuis à purgatorio liberatam in æterna requie deponentes accepta beneficia deponant: ut benefactorum condemnationis chirographum deleant, in propriis humeris ſatisfactionis ſtigmata ſtylis loreis depingunt; ut iſti flammis non adurentur, in nive ſæpè volutati frigore rigent; ut hilares datores æternis cæli delitiis citò recreentur, inter arentia olera perpetuò abſtemii ſquallent: hoc in triviis boant, hoc in pulpitis reboant, hoc pro evangelio populum docent

docent hypocritæ triſtes, qui Phariſæis pejores facta ſua non celebrant, ſed mentiuntur. Hac pietatis larva peſtiferi homines in domibus viduarum graſſantur, pupillorum ſubſtantiam abliguriunt, hæreditates dilapidant. Hanc populatricem Purgatorii flammam accendit avaritia, fovet luxuria; extinguet verò hunc ignem, qui purgat omnem hominem egredientem ex mundo Lux illa, quæ illuminat omnem hominem venientem in mundũ, nam Chriſtus lux deſcendens à patre luminum, ſanie lividus, & ſanguine cruentus, in militum ludibriis, & carnificum tormentis, vitæ tædio, & mortis agone, omnium peccatorum pænam in propriis tolerando nullum purgationis locum reliquit. Quod recte firmiſſimis argumentis ratum ſtatuam, ſi fundamenta quibus innituntur pontifi-

cii, prius eruam.

Avaritia, quæ ſubdolas ingenii opes iis largitur, qui ſe lucri cupiditati permittunt, purgatorii fabulatoribus omnes mendaciorum verſutias conceſſit, nec temeritatem denegavit. Eos effecit ad perquirendum indefeſſos, ad acquirendum immodicos, ad mentiendum petulantes, in quæſtu ſine requie, in fructu ſine modo, in mendaciis ſine fronte; dum purgatorium tamquam optimum rapinarum inventum in ſuis fabularum commentis perſcrutantur, injuſti ſeſe excruciant, ut juſtis cruciatus parent, in redemptione noſtra Chriſti fructum minuunt, ut in furto ſuum augeant. Materiam in ſpiritum, gehennam in juſtum, Deum in filium rigidè animadvertere volunt; ut per impoſſibilia ardua poſſint, populorum nempe theſauros deprædari: penam

nam insuper sine culpa plecti, culpam sine gratia purgari dicunt: dumque mentis delirantis somnium varians aliqua unione componere laborant, dispares scripturæ locos parili assimilatione connectunt, ut monstrum ex dissimilibus membris conflatum in unum verisimile corpus concinnent: in istis Scripturæ locis ad purgatorium stabiliendum adductis, veritatem, quæ ad mendacium inflexa laborare, non extingui potest, sedulò perquiramus.

Pontificii in purgatorio fingendo contra sanctum Spirium, & apertam veritatem aperto Marte pugnantes ibi illud tueri conantur, ubi Christus peccatum in spiritum sanctum certò puniendum testatur. (*Qui autem dixerit adversus spiritum, non remittetur ei neque in præsenti seculo neque in futuro*) ex eo aliorum peccatorum Mat. 12, 32

re-

remiſſionem in futuro ſeculo concludunt, quod *Chriſtus* duntaxat hoc unum nec in præſenti nec in futuro innuerit remittendum. Sed miſerrimè decipiuntur, nam de iſto nihil certò dicitur, quod de aliis verè negetur. Cum ſecundum ipſam pontificiorum mentem, nullum ſit peccatum, quod non remiſſum in hoc ſeculo remitti poſſit in futuro: ipſa enim peccata quæ in purgatorio puniuntur, ſi mortalia ſint veniam conſequuta ſunt in præſenti, cum aliàs æterna gehenna afficienda eſſent in inferno, ſi veniala non remittuntur in alio ſeculo, ut exiſtimant papicolæ, quæ uſq; ad ultimum quadrantem examinantur: ibi enim nulla eſt remiſſio ubi totius debiti fit exactio. Sed inſuper verbum in filium hominis impie effutitum, cum ſit blaſphemia ſemper remaneret in futuro, niſi condonaretur

in

inpræſenti; & ſi peccato in ſpiritum ſanctum Deus in præſenti veniam indulgeret, in futuro non remaneret: non igitur hæc duo à Chriſto, quo ad futurum ſeculum invicem opponuntur, cum in eandem ſortem incurrant. Remanent ſi non condonentur, ſi veniam conſequantur, in futurum ſeculum non tranſeunt, ut puniantur: quo ad præſens verò ſeculum offenſa in filium hominis, & peccatum in Spiritum Dei ex eo opponuntur, quod primo Deus ſæpe indulgeat, ſecundo verò nunquam parcat quia ſemper conjunctum eſt cum impænitentia finali: ideo Chriſtus primum in uno & altero ſeculo remittendum, ſecundum in utroque remanſurum aſſeruit; nec in hoc purgatorio locum fecit.

Secundò ibi in dedecus iſtorum defunctorum Purgatorium ſtabiliunt, ubi Apoſtolus in eorum gloriam

riam reſurrectionem probat, (*quid faciunt qui baptiſantur pro mortuis ſi mortui non reſurgant?*) ſiquis inde purgatorium conſequentiâ aliquâ deducat, Apoſtolus nullâ reſurrectionem concludet, nam cum poſſit eſſe purgatorium animarum ſine reſurrectione corporum, nullum erit Pauli argumentum: quod facile ſic eluderent adverſarii; baptiſamur pro mortuis nonut à pulvere ſepulchri reſurgant, ſed ut à flammis purgatorii liberentur, quare per nos nihil nobis probas, & ex conſuetudine noſtra pro reſurrectione argumentum male inflectis, cum hæc ad reſurrectionem non dirigatur: quare qui ſatis habebunt animi, ut ipſos pro reſurrectione mortuorum baptiſatos fuiſſe negent, ſatis habebunt impudentiæ, ut argumentum Apoſtoli non probent.

Tertio

Tertiò hæreticam, & à vero religionis fundamento alienam ſententiam ibi fundant, ubi Paulus vanam doctrinam in vero *fundamento conſurgentem ruituram aſſerit* (quod ſi quis ſuperſtruit ſuper fundamentum hoc &c.) ex hoc igne purgatorii flamma non excitabitur, niſi ab eo qui nimia avaritiæ cupidine accendetur: opera quæ in iſto igne probantur in vero fundamento *Chriſto Ieſu* ſuperſtructa ſunt: opera quæ in igne purgatorii diluuntur à vero fundamento receſſerunt, quæ à lege Dei aberrarunt. In igne iſto bona opera examinantur ut remaneant, in alio mala opera puniuntur, ut pereant: in iſto propter probationem operis autor mercedem accipit, in alio per ignis purgationem nemo meretur: in iſto magnum damnum experietur, qui operum ſuorum jacturam patie-

patietur in alio magnum commodum ſuſcipiet qui opera ſua flammis conſumpta deperdet: aliud igitur lignum, aliud fænum, aliam ſtipulam quærant, ut flammam quam ſuſcitarunt enutriant: multos alios Scripturæ locos impræſentiarum mitto, quos ad probandum purgatorium fabulatores admittunt: hos tres præcipuos ad fabulæ vaſim adaptatos dum germana veritate donavi, purgatorium mendacibus denegavi. Sed quia fabulatores commenta ſua ſine ratione ſtabiliunt, purgatorium ſine fundamentis ædificant, quod jacet in ruderibus ſuis ſepultum: fictitiam aliquam pœnam poſt remiſſam culpam imaginantur circa quam omnes purgatorii flammas occupant: nullam vero pœnam talem ſupereſſe ſequentibus demonſtratur.

Magno damno experiuntur filii mag-

magnam fuiſſe parentis offenſam, qui ob innatum ſcelus Deum ſuſtinent inimicum, & ſpectant judicem, indeque mortem unde vitam educunt. *Adamus*, ut compertũ eſt omnibus, omnem è paradiſo deturbavit progeniem, ne ſpe dejiceret uxorẽ; qua impellente pomũ illud comedit, quod ſui ſuorumque venenum mortiferum gratiſſimo extimæ cutis ambitu defendebat: ex hoc eſu prohibito mortem contraxit mortalemque tabem in poſterorum genus effudit: quia homo impiè niſus eſt in vetitum, irritè conatur in bonum, neceſsè nitat in malum; hoc enim valet lapſa natura, ut malum poſſit, & bonum nequeat, pro peccato unico ingeminatâ corporis & animæ mortis pœna plectimur: pro qua ad æquivalens Chriſtus ſatisfecit, morti corporali in corpore mortuus, animæ morti in anima triſtis

uſque

uſque ad mortem: exauditus verò eſt pro ſua reverentia, qui ante tempora hominum Beatitudo à patre genitus, à matre in tempore, eſt hominum Redemptio factus: ſed quem Iudæi ore ſpurciſſimo regem conſpuunt, Pontificii lingua ſacrilega redemptorem reſpuunt reſpondentes; Chriſtum tantum ſatisfeciſſe pænæ peccati, quod ante baptiſmum contrahitur, non pænæ ſcelerum, quibus homines poſt aquam baptiſmi rei fiunt ignis inferni: ſic-que ſolius peccati originalis pœnã luiſſe, & per accidens aliorum etiam peccatorum, quæ in baptiſmo eâdem aqua abluuntur: quos ad brevia redactos paucis perſtringã. Chriſtus pro certo horrendos ſuſtulit cruciatus, in quorũ intuitù ita mẽs perhorruit, ut per poros terrore laxatos ingens cruoris fluvius toto corpore ſcateret. Sed animi anxietates,

tates, & corporis dolores pro pæna peccati originalis non ſubiit, quod ſecundùm Pontificios nullo ſenſibili dolore punitur. Pro aliorum igitur pæna peccatorum caput hiſpidatis ſpinarum aculeis pertuſum, manus acutâ clavorum cuſpide perforatas, linguam aceti aſpergine perfuſam habuit: ſicque pœnas noſtras ipſe tulit, qui abſtulit peccata mundi: neſcio quo malo afflati ſydere fabulatores purgatorii morbum animarum, quem ipſi fecerunt ad lucrum, iis remediis deliniunt ad ſalutem, quibus morbus nullus eſſe perhibetur, ut purgatorii pœnis medeantur, miſſæ ſacrificium patientibus applicant. Sed cum crucis & miſſæ unum idemque ſit ſacrificium, pro eodem ſubjecto oblatum eſt in cruce, pro quo repreſentatur in miſſa, ſed in miſſa pro animabus purgatorii repreſentatur, in cruce igi-

Scotus in 2 d. 3. q. in. Innocentius 3. c. majores de baptiſmo. Rugenius 4. in conſilio florentino, in litteris unionis.

tur pro animabus purgatorii fuit oblatum, mutatur enim ſacrificium, quando variat & ſubjectum, ex eo Pontificiorum mendacium comprobatur, quod negent Chriſtum pro eorum peccatorũ pæna in cruce agonem ſubiiſſe, & ſanguinis ſacrificium obtuliſſe, pro quibus ipſi illud quotidie in miſſis celebrant, quaſi vero ſacrificium idem manens idem aliquid poſſit in miſſa, quod non valuerit in cruce. Sed ut omnia iſtius fabulæ commenta brevi ſerie connectamus. Papa in terræ penetralibus theſauros effodiens, Purgatorii carceris cuſtodem ſe dicit, ut acceptis pecuniis quibuſcunque voluerit libertatem concedat: ille qui dicit Chriſtum ab oculis noſtris ſubſtractum, & interjectâ cælorum compagine terræ incolis inviſibilem viſibilis Eccleſiæ caput eſſe non poſſe, non dubitat adhuc

huc ſuper terram in corpore degens, ſpirituum ſub terra languentium Caput ſe jactitare; & qui nullum audivit in antiqua lege pro mortuis ſacrificium, in nova novum aliquod meditatus eſt. Mirum eſt Purgatorium tempore legis nullis precibus, nullis libaminibus, nullo vivorum baptiſmate mitigatum fuiſſe, & omnes ſcripturas de animabus poſt mortem, in gehenna ſuppetias clamantibus omnino ſiluiſſe, nonne iſtorum ſacrilegorum ſacrilega in redemptorem verba illa vox altiſſima compeſcet, qua Chriſtus in vitæ articulo omnia conſummata eſſe aſſeruit? infectum vero & imperfectum redemptionis noſtræ negotium remaneret, ſi aliqua peccati pæna ſupereſſet. Sicut ignis in cremiis conceptus magno ſtrepitu, largo fulgore, ſed caduco incendio, & brevi tempore in cineres

efflatur, ita purgatorium ex incongesto stipularum fasciculo succensum, scintillantibus flammis, & ingenti fulgore sed deficienti materia citò in fumos abivit.

QUARTA

QUARTA FABULA,

SEV

De Tranſubſtantiatione *Euchariſtica.*

CAP. IV.

QUarta Fabula eſt Tranſubſtantiationis commentum, in quo paratum hominibus ad idololatriam lapſum mirabimur. Evæ pellices oculos, & ora luculentiſſima divina manu compacta adoravit Adamus illecebris delectatus, dum Dei mandatum deſpexit, ut delitias ſuas coleret. Sed Adami filii Deos è rudere natos, vel è trunco effigiatos, plantas, animalia

nimalia, quiſquilias adoraverunt ita enim ex parentis lapſu hominum progeniem proclivi ſenſu idololatria ſolicitavit, ut peccatum in pænam criminis ceſſiſſe videatur. Iam nullo voluptatum authoramento ad idololatriam prolabitur genus humanum, ſed prima labe vitiatum ita languet, ut ad malum proprio pondere deprimatur: ad malum impulſus eſt pater, in morbo laborant filii, qui in Chriſti doctrina à deorum cultu abhorrentes, ad idololatriam tamen inſcii coguntur. Dilectus à Deo diſectuſq; Dei populus ſanctus pro beneficiis gratulabundus in Benefactorem, ſæpe peccavit idololatriæ reus: dum inſpectæ ſerpentis imagine in ære ſimulata, à noxiis venenoſæ ſerpentium linguæ vibrantis aculeis ſanaretur, Dei medentis oblitus, vulnerantis colubri ſpeciem veneratur. Populus

lus Christi sanguinis dispendio vendicatus, Christi sanguinis, & corporis in vino & pane memoriam recolens, panem, & vinum pro servatore colit. Quod si idololatriæ maculis inuratur, non sapit ut justè monitus, sed scandet ut injustè lacessitus. Nam Mystæ Pontificii, qui fictæ transubstantiationis arcanorum soli videntur arbitri, tanti sceleris propriè dicuntur conscii, reliqui vero communi malorum proluvie pereunt, & exemplo, ad cibi, & potus cultum trahuntur. Pontificiis utriusque sortis sponte delirantibus pro nutu fabulatores illudunt; vinum & panem, quem vident, sentiunt, & tangunt, non esse; Christi corpus, quod nullo sensu percipiunt, esse, ut credant, illos perhorrendis damnationis minis anxiè cogunt: quid rusticanus opilio panem manu tangit, dente frangit, palato sa-

pit, & panem esse non credet? Philosophus paribus indiciis deprehendet, & se hallucinari fatebitur, ne in fide decipiatur. Arduum est, sed non impossibile fidei nostræ objectum. Impossibile vero est panem gustari sine Pane, & sine vino Palatum meri liquore delibatum vini sapore oblectari. Sed fabulatores sacrificuli tamquam carminibus potentes, dicunt, se quinque vocabulis divino afflatu inhalatis ita subjectam materiam permutare, ut colore, quantitate, & sapore remanentibus in nihilum abeat substantia Panis: quasi vero aliquid in materia lateat, quod sensus non deprehendat. Illud enim quod in materia non est sensibus obnoxium, jure dicitur discurrentis Aristotelis intellectus esse figmentum, cum ipsemet optime dixerit, nihil verè esse in intellectu, quod prius non

fuerit

fuerit in ſenſu: materia prima, & fictitia Ariſtotelis ſubſtantia in fidei articuls à Chriſtiano non immeritò rejiciuntur, quæ à ſapientiæ dogmatibus per doctos neotericos eliminantur: ſcriptura, fidei noſtræ arca, ſubſtantiam nulli ſenſuum perviam, & illæſis accidentibus pereuntem non cognoſcit, quare igitur illam Chriſtianus coactus admittet, vel delirantis philoſophi ſomnio fidem ultrò conciliabit? Quamvis talis ſubſtantia veriſſimè aſſerta innoteſceret, nullus tamen Chriſtianus illam fide ad ſalutem neceſſaria exiſtimare poſſet, quæ fides humanæ non deficit, ſed divinæ innixa veritati perennat. De fide igitur non eſt, talem ſubſtantiam eſſe: ergo Tranſubſtãtiationem nequit Chriſtianus ſalva fide tenere: mirabuntur ſcioli ſubſtantiam omnium accidentium ſubjectum nondum fuiſſe

iſſe intellectus mei objectum. Sed nec ante Ariſtotelis inventum aliquis in iſtam ſubſtantiam deliraverat, ut apud ipſum obſervare poterunt, qui me importunum Philoſophiæ mimum ſuſtinebunt. Iam vero antiquorum ſententiam poſtliminiò non ſuſcito, vel in ſapientiæ myſteriis cũ imperitis rideo, ſed ſubſtantia, quæ in naturalibus non arridet bene cordatis, in ſupernaturalibus mihi placere nec poteſt nec debet. Panem Euchariſticum remanere tam certum exiſtimo, quam falſum ſentio veritatem eſſe mentitam, dum vigilia Euchariſtica dolorum diem quærens convivis diſcipulis dixit (hoc eſt corpus meum) quod ut in præsbytero miſſificante experiamur. Sacrificulus Chriſti voces ſequens, per vocabulum hoc, vel indicat panem, vel decernit corpus. Si Panem velit, tranſubſtantiationem

tiationem nequit; nam vel perit veritas, vel non annihilatur Panis, falsum est Panem, qui non est, Christi corpus esse: ut remaneat igitur veritas, nequit abire Panis. Si corpus intelligat, vel illud existere significabit, quod Pontificiis non placet, cum ad commentum non valeat, & Christum aliquid novi effatum esse fateantur: corpus igitur novo loco præsens esse presbyter indicabit: quod falsum etiam perhibetur, cum enunciante propositionem presbytero, corpus Christi de novo non adsit, sed post elapsa verba consurgat. Parùm sibi constant mendaces præstigiatores; corpus Christi esse pronunciant, nec esse volunt, nisi postquam esse dixerint: quis unquam in arcanis antiquorum mysteriis, tot absurda mirabitur, quot in ficticiis Pontificiorum sacramentis impossibilia stupebit?

Pagani

Pagani vates veritatem fabularum velo obducebant, Pontificii vero fabulas veritatis ſpecie decorant, & contradictoria, concordi ſerie, ſub fucata veri poſſibilitate connectunt: ita ſibi credentibus faſcinationibus illudunt, ut verum & falſum, eſſe & non eſſe ſimul aſſerant. Chriſti corpus omnibus accidentium exuviis ſpoliatum albis faſciis ſpecierum involunt, eoque modo deliteſcens ſuper miſſificantis cervices paululùm in pectus demiſſas, elatis manibus porrigunt circumſtantibus adorandum. In qua fabula multa contradictoria detegemus, plurima tacebimus, ut miſſam citò miſſam faciamus: nunquid igitur corpus Chriſti à fabulatoribus conceptum ritè coletur ab incultis agrorum cultoribus, vel ſapientes tale corpus impoſſibile rati digne venerabuntur? nullus certè ſui compos corpus in

cælo

cælo replente quantitate circumfluenti loci crepidine circumſcriptum, in terra exuta quantitate intra panis quantitatem more ſpirituum perfuſum exiſtimabit. Sed ne deliria aſpernando rationes effugiam, vel difficultates, fabulatoribus illudendo videam eluſiſſe: impoſſibile dico corpus idem manens, dilatata menſura in loci ſpatium porrectum ſiſtens, quantitate exutum, in puncti deffinitionem redigi poſſe: nam unicum corpus unionem terminans, in quibuſcumque locis ponatur, unicus erit unionis terminus, & illum nexum quantitatis in uno loco recipiet quem in alio non reſpuit. Maximè cum ipſis fabulatoribus [a] fatentibus, calorem, quem in uno loco ſuſcipit, in alio neceſſariò præſentiat. Corpus igitur Chriſti in cælo, quantitati unitum, in Euchariſtia non erit à quantitate ſejunctum,

[a] Tartaretus 4. d. 10. q. 2.

ctum, cum vinculum in Sacramento non rejiciat, quid in cælo ſuſcipit: quod ſi quantitatis unione revinciatur, in quantitatis molem extendi neceſſe debet.

Vrgebo iterum mimicos ſacrificulos panem præ manibus geſtantes, & corpus Chriſti geſtientes. Nunquid corpus dicant ſubſtantiam à quantitate avulſam, aut quæ humani corporis ſimilitudinem referat Tranſubſtantiatorum corpus: humanum corpus tribus quantitatis ſpeciebus compactum cervices ſublato collo erigit, lacertos nutu morigero moderatur, crura & tibias facili flexu dirigit: corpus verò, quod ſub panis ſpeciebus deliteſcit, incongeſto confuſionis acervo caput cum pedibus, ventrẽ cum cerebro, brachia cum cruribus indiviſibili nexu colligat, nec aliquam corporis ſpeciem præbet: poſtquam tranſubſtan-

ſubſtantiatores Chriſtum humana forma exuerunt, ſicut & milites laciniâ miro lanificii contextu pretiosâ ſpoliarunt, eum tandem morti tradunt: ab hoc mortis genere forſitan abhorrebunt, vel incruentæ mortis nomen prætextabunt: quibus per fabulatorum doctiſſimos unius corporis in multa ſpatia devectores licebit dicere arguendi: corpus in pluribus locis poſitum in uno vivere nequit, ſi in alio, enſe transfoſſum moriatur, vel aliquo modo deſtructum pereat: corpus vero Chriſti in Euchariſtia ad tam brevia contractum deſtruitur. Chriſtus igitur in cælo vivere non poterit, quamvis amplius non moriatur. Philoſophorum ſententiæ non reminiſcuntur Tranſubſtantiatores, quæ omne vivens certo magnitudinis, & parvitatis termino cohibet; quo vel exceſſu ſuperato;

Ariſt. 1. ph. c. 4. & 4. de origen. ani. c. 7. Scotus 2. d. 2. q 9.

rato; vel diſpendio diminuto vivens protinus annihiletur: iſti larvati fabulatores in Sacramento Corpus fingunt omni quantitate expers, quod tamen in cælo vivens æternæ vitæ ſtipẽdium beatis offeratur: certe mille labyrintheos patiuntur amfractus, à quibus cum ſeſe expedire tentant tenacioribus pedicis revinciri dolent, ex fabulis fabulas procreando in infinita commenta delirant: ut Tranſubſtantiationem fingerent, corpus unicum in pluribus locis poſitum ſomniarunt: quæ ſententia quantis ſcateat erroribus facile & brevi obſervabimus, ut per hoc Tranſubſtantiationem erutis fundamentis convellamus. Quod primo figmentum ex impoſſibilibus coadunatum arguit, eſt potentia extra objecta ſuæ ſpheræ occupata, & valens; ſic oculus Pauli in tenebricoſo carcere Pariſiis incluſi, in

Anglia

Anglia libera coæquatam camporum planiciem, elata montium juga, erroneos fluminum ſinus, & quidquid terræ faciem variegat longe lateque mirabitur: in Arabia æſtuantis ſolis radiis torridus ſitiet, & in Gallia ſimul quiſpiam poterit prope fontis marginem captando frigus opacum, ſalientis aquæ fluvio ad ſatietatem expleri, in opilionis gurguſtiolo parciſſimè victitare; & ſimul in piſtrina opiparè epulari, & cum helluonibus alternis poculorum vicibus velitari: in caſtris ſub Iove aperto pernoctans excubias ſuſtinere, & in gynæceo ſuper ſtratum plumarum mollitie: tumens virginum more ſomno plus æquo indulgere, quod antiqui Philoſophi impoſſibile duxiſſent, jamque neoterici doctiores cachinnis excipiunt. Sed iſtos cum Aquinate fabulatorum doctiſſimo propius a- Th. 3. p. q. 75. a. 1.

grediamur. Si corpus in duobus locis ponatur, in decem & centum, in omnibus denique mundi locis æque facilè collocari poterit, eâdemque currente ratione in infinita diſcurret ſpatia: quod concedunt adverſarii, & nullo labore argumentum eludunt: quos ego adverſus ex conceſſis inſequar uſque ad impoſſibilia, quæ ſapiens non concedit: ſupponamus igitur corpus omnibus unius aulæ locis occupatis totam capacitatẽ complere; cum locus ſecundùm Philoſophum ſit ſuperficies corporis ambientis, ſi corpus in medio & adæquato loco à ſe ipſo undequaque circumſtipatum ſuperficie ambiatur, hæc à fabulatoribus nobis concedentur: idem eſſe locatum, & locum, eandem ſuperficiem ambientem, & ambitam, eundem hominem circumſcriptum, & circumſcribentem: ſuppo-

Scotus 4. d. 10. q. 2.

namus

namus insuper in ista coacervata unius corporis mole ad duo aulæ latera duo spatia alterius corporis capacia interpolata deferi, & in illis alterum corpus collocari, hoc corpus in duobus spatiis erit, & unicum locum habebit, cum eâdem & unica unius ejusdemque corporis superficie in utroque circumscribatur: in istis nugis diutius altercari supra fastidiū est; cum aliquis sui compos hæc audire vix sustineat, nec fabulatores ipsi sibi credant dum hæc commenta somniant, nec sibi credi existiment, dum vana deliramenta insulsè effutiunt: in piaculo vero indelibili Transubstantiatorum dum animus deficit, calamus ultro progredi non valet: proh nefas! in eucharistiæ sacramento Christum liberatorem ad tam brevia contractum in carcere detinent: vitæ beneficium, quod illi debent, in ejus

internecione deponunt. Sacramentum in idololatriam commutant, a page tam horrendam sacrificulorum magiam, quæ corpus Christi omnibus obnoxium pertrectantium ludibriis, & morte afficiendum è cælo pro nutu deducat.

QVINTA

QVINTA FABULA SEV, De Invocatione *Sanctorum.*

Cap. V.

Quinta Fabula est *Invocatio Sanctorum*, in qua beatitatem venalem & Dei gratias, non laboribus, ut volebant antiqui nates, sed muneribus emptas proponunt fabulatores avaritiæ semper intenti: Sanctos cæli aulicos mortalium causarum oratores ad Deũ preces effundere dicunt, ut amicis clientibus faveat, quos dum clades imminet, vel

morbus graſſatur, vel bonorum jactura angit, interpellandos eſſe aſſerunt: in iſto commento incaſſum non ſomniarunt, qui crebras inde pecunias ab ignara plebe corradunt; nam varia ſanctorum delubra, varios miniſtros, varia libamina inſtituerunt, ut unuſquiſque Sanctus propriis muneribus propitietur: dum aliquis vel imminenti terretur vel aggravāti premitur infortunio, non deſunt ſacrificuli, qui in aure pro aliquo ſancto donum ſuſurrent, & peregrinationem verſus aliquod ejus phanum miraculis celebratum conſulant: quâ devotionis larvâ delusi multi ſuſpendunt tholo munera, miniſtros perpetuis obſequiis Sancto addictos ſibi munificentiis devinciunt, ut patronum continuis votis ad rogatum inclinent. Adeo tanti morbi vis efferbuit, ut ad conſurgentia ſanctorum altaria manus

manus extendant, ad cælum voces efferant, omnes denique Beatos importunis votis fatigarent, si clamantium miserrimas voces audire, vel orantium intempestiva desideria cognoscere possent. Magnopere tamen laborant pontificii, ut hanc sanctis curam impertiantur: illis in divinitatis speculo omnia, quæ in terris agimus ob oculos objiciant: sed ne talia videant vetat beata visio, quæ in finitis objectis non patitur intellectum inquietè divagari: nunquam enim orationes cognoscens, ad novas, & meliores proclivis, tantas intelligeret quantas intelligere posset: quod si in summa beatitate satiatum istis quisquiliis indigere dicant, intellectum in objecto infinito quietum infinitè laborantem semibeatum efficient: nec tamen aliquis de sanctorum fælicitate sincere cogitans existimabit

ſanctos uni objecto totis viribus intentos in varia diſtrahi poſſe, Intellectus humanus ad hoc ſua finitate reſtringitur, ut plures cogitationes ſimul non eliciat, ſicque de Deo & creaturis ſimul cogitare nequeat: nunquid igitur ſanctus omnium bonorum poſſeſſionem derelinquet, ut noſtris malis ſeſe immiſceat? qui duas diſtinctas fælicitatis ſuæ & miſeriæ noſtræ ſimul nequit cogitationes in mente revolvere. Sed quamvis ut volunt, orationes earum ſancti cognoſcerent, nunquid illi ſanctos eas exaudituros cognoſcunt? certe illud ſciunt omnes papicolæ ſanctos non poſſe nos exaudire, & poſſe non exaudiri; & tamen cæca ſorte duce cum ſumma Chriſti contemptu ad illos ſemper confugiunt: iſti præterea Sanctorum interpellatores vel juſta & juſtè rogant, & procul dubiò annuet

Deus

Deus abſque ſupplice, vel injuſtè precantur, quæ Deus omnibus omnium ſanctorum petitionibus denegabit: hoc autem pro certo cognoſcunt, qui vel minimo rationis diſcurſu utuntur. Sed omnes aulæ verſutias, & patronorum cautelas, & fori corruptelas in cælo vigere cenſent, qui pro tabulatorum nutu cæcutiunt: quid ſi aliquis nullum malæ conſcientiæ reatum intra ſe ſuſtinens, laqueo ad collum innexo ultimum patibuli cruciatum ſpectans ſanctum aliquem innocentiæ ſuæ teſtem interpellet, ut calumniis, quibus inſimulatur, rogantis, mortem vitet & crucem effugiat: alius in ſinuoſis maris vorticibus pene ſubmerſus eandem adjutorem ingeminatis votis, & vocibus ad ſe compellet, quid ſanctus præſtabit? Si aliquem poteſt, unum è periculo liberabit, alteri opem ferre

ferre non poterit: nam nec duo ſimul cognoſcere, nec pro duobus orare valet. O vos miſeros, qui in imminẽti naufragio ſanctos abhinc longe diſſitos, & finita loci capacitate definitos, ut ſuppetiatum veniant accerſitis, Chriſtum per divinitatem immenſum, & omnibus hominibus intimâ præſentiâ aſſiſtentem, ut præſtò ſit, non oratis. Sed ut videamus quo veneficio faſcinatio iſta invaluerit, quibus ſanctis Pontificii votum nuncupent, obſervemus: certe ſi qui in deſperatis rebus ſancti ciendi eſſẽt, quibus negabit eos eſſe invocandos, quorum ſanctitas Deo teſte comprobatur: omnes priſcæ legis ſancti, Deo ipſo adſtipulante, celebrati, magna à Pontificiis incuria negliguntur, nulla illis victima ceditur, nullæ preces allegantur, nullum altare conſtruitur. Franciſcus, & Clara, Andreus & Thereſa

Thereſa à Papa ſanctorum Catalogo inſcripti omnibus libaminibus propitiantur, omnium votis ſollicitantur, in omni ara coluntur. Nulla Moyſis vel Abrahæ effigies tanquam Dei benefactorum monimentum in phanis papicolarum decenter collocatur. Dominici, & Loyolæ imagines vel in tabella depictæ, vel in marmore effigiatæ, curioſa artis induſtria mirabiles, obrizeo bracteorum celamine conſpicuæ, appenſis collo donariis, pretioſæ, impie adorantur: ex quo Prophetæ erga Dei populum ſolliciti in ſepulchro patrum dormierunt, ejus ſaluti non creduntur invigilare. Dominicus Chriſti fidelibus Albigenſium nomine denotatis hoſtis intenſiſſimus, dum vixit, Poſt mortem fidelium patronus à Papa eligitur. Stupendorum prædeſtinationis arcanorum intrepidus

dus temeratur in votis delirantium hominum teſtimoniis convictus, quemcunque vult, inconcuſſo infallibilitatis decreto ſanctum ſancit. Cæcus cæcis teſtibus quid clare decernere poteſt? nunquid homines actionum ſupernaturalium ſatis idonei cenſentur Iudices, ut quæ à ſancto Spiritu manant ab illis quæ ab homine promanant, juſte ſecernant? cum illæ duæ actiones ſola individuâ differentiâ hominibus ignotâ inter ſe diſcrepent. Si eodem tempore Diogenes pannoſa & lacera veſte adumbratus, ſordium rubigine trux, & Stoico cultu totus aſper ſtipes erogaret in trivio, & Franciſus ſciſſo, & inæqualibus petiis temere concinnato amictu indutus inſolentia cululli contemnendus, ſordida barba, hiſpidis ſuperciliis, ſquallenti cute præſtolaretur præ foribus mendicatum perulæ onus operiens

operiens: quis legitimus ſanctitatis arbiter, inidoneus Papæ teſtis ſanctum ab impio ſegregaret? Sed ut Pontificiis extra humanæ potentiæ metas valentes arctiùs concludamus, præcipuos hujus fabulæ fautores contrariæ ſententiæ principes proponamus. [a] Subtilis ſubtilium doctor, & ſtupendi [b] Seraphim [c] Angeluſque Scholaſticorum cum Eccleſia Romana teſtantur, nullum hominem bonis operibus intentum, ſacramentis initiatum, & quavis ſancti Spiritus vitute pollentem, de præſenti juſtificatione, & operum bonitate ſupernaturali notitiam habere: quæ fides igitur adhibenda eſt teſtibus ut plurimum auro corruptis, vel ſuperſtitionis amore correptis, qui homines miracula edentes ſanctos, non præſtigiatores, bona ſua pauperibus erogantes pios, non hypocritas, à communi more abhor

[a] Scotus 4. d. 17. q. 1.
[b] Bona. 4. d. 17. a. 1. q. 3.
[c] Tho. 1. 2. q. 112. a. 5.

rentes ſapientes in Chriſto, non ſtultos certò aſſerere poſſint. Sed quod ſupra admirationem videtur ſtupendum illa eſt Papæ temeritas, qua de prædeſtinatione ſua ambigens, alios tamen beans prædeſtinatos, infallibiliter decernere poſſit: certe qui infinitis altercationum rixis cum Romaniſtis velitare decerneret, labores ultra omnes ævi terminos ſibi propagaret. Tot impoſſibilia efficit Papa, ut ſicut Deus omnia poſſibilia valens omnipotens nuncupatur, ſic ille ad impoſſibilia potens impotentiſſimus dicatur. Si contradictoria efficit, contradictorio nomine ſe ſalutari patiatur: nec tamen papicolas doctores exiſtimo eſſe illos ſtupidos, qui fabulas, quas concinnant, veras exiſtiment, nec Papam illum larvatum, qui neſciat auri pondere ſe ſibi majeſtatis pondus comparare, & adulatores

tot eximios ſupremæ poteſtatis honores nihili vendere: inter illos convenire ſcio, & inſciis tantum illis notum parari decipulum. Infidelibus fidem ſuam Papa commendat, illis imperet, qui ſe fabulatorum ditioni promittunt; ab illis celebretur, qui Romanum ſtipendium ſpectant: ego vero ab illis averſus, qui ad fabulas ſunt converſi, quicquid Deus ſcripturis cõmiſit firma fide comprehendo, Papæ decreta, Bullas, Canones irrideo. Romanum ſplendorem, & divitias non pluris facio quam lutum calcibus obtritum: certo beatitatis arrhabone in fide authoramento exhilaratus hanc ſpecto æternitatis coronam, quam non ſolum mihi ſed & omnibus, qui ſpectant adventum ejus, concedet omnipotens Deus. AMEN.

FINIS

C 25261
46670
SL

REPRODUCED FROM THE COPY IN THE

HENRY E. HUNTINGTON LIBRARY

FOR REFERENCE ONLY. NOT FOR REPRODUCTION